Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

et multiplicans multiplicabo te: sicut stellas celi in multitudine, et sicut harenam que est ad horam maris innumerabilis. Et iterum. In semine tuo benedicentur omnes gentes terre. De quo semine manifeste nos edocet apostolus dicens. Non dicit et seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo quod est christus. Omnes etiam sancti prophete tante salutis archanum reuelante spiritu sancto preuidentes, scientesque dominum nullomodo posse mentiri, ad sanandum languores nostros celestem medicum nunciabant esse uenturum. atque ut celeri presentia sua prospiceret humano generi, continua supplicatione poscebant. At misericors deus quia pia uota semper anteuenit, nec umquam deserit eos qui se toto corde quesierint, promissiones suas nouissimis diebus impleuit: mittens filium suum factum de muliere factum sub lege: qui pro nobis in similitudine mortalitatis nostre carnem pateretur, eumque qui mortis habebat imperium sua morte destrueret. Denique diuinitate sua manens impassibilis, a corruptione atque interitu nos redemit et a uinculis absoluit insolubilibus inferorum, perfectaque dispensatione nostre redemptionis, omnibus gentibus per lauacrum regenerationis peccatorum indulgentiam contulit, cunctosque ad ueram fidem per doctrinam apostolicam confluentes iuxta illud quod ait in euangelio. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti, gremiis ~~infinite~~ infinite sue pietatis amplexus est. Igitur cum per uniuersam terram euangelii preconia canerent, et plures in adoptionem filiorum per gratiam christi concurrerent, inimicus humani generis uehementer exarsit, multoque seuerior ad temptationum prelia, quam prius dei seruos excitauerat, nisus est commouere, suspicatus infelix quod posset nobis iter indulgentie celestis obstruere. sed hac ipsa intentione sua deceptus est et elisus. Adiutorio namque muneris diuini a fidelibus et uigilantibus uiris eius proteruntur insidie, ut ipsi quidem confusio, famulis autem christi perennis gloria compararetur. Nam iuxta domini promissionem, cum ad examen pacientie et fidei eorum qui spiritalia bella prudenter exercent paganorum imperatores existerent, et ubique contra christianos persecutionis procella deseuiret, multi apud egyptum martires sancti per uaria supplicia usque ad mortem in christi nomine perstiterunt, et simul cum petro alexandrine urbis episcopo perpetuas coronas et immortalia premia sunt adepti. Crescebat autem in dies fidelium multitudo et per omnia loca mirabiliter augebatur, nec non ecclesie quam plurime martirum memorie construebantur impensius. monasteria quoque frequentissima eorum qui continentie studentes renunciauerant seculo, solitudinis ipsi secreta decorabant. Hi namque qui de gentibus in christo crediderant considerantes martirum passiones, eorumque sincerum circa christum confessionis affectum, ceperunt et ipsi per gratiam domini sanctorum uitam conuersatione neque sectari et huius institutionis esse, ut etiam his illud aptaretur apostoli. Circuierunt in melotis in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, et montibus et speluncis et cauernis terre. Quietem denique solitudinis appetentes, gaudia proprie salutis ac fidei diuino sunt munere consecuti, et ceteris mox exempla sublimioris uite sacratiorisque prebuerunt. Omnibus enim terrenis exuti negociis, ad huc morantes in corpore, angelorum emulati sunt sanctitatem, per quam fastigia scandentes celsa uirtutum, ultra animi rationem emicuere mortalium, ita ut in nullo prorsus antiquissimis patribus inferiores existerent, equiparantes etiam illorum merita qui pro nomine domini nostri ihesu christi certauerunt usque ad sanguinem, et inuisibilium hominum molimina destruentes. De quibus ait apostolus. Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem, sed principatus et potestates, contra mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequicie in celestibus. Quorum multiformes precauentes incursus, et caput serpentis antiqui fortiter conterentes, et sempiternis premiis ditati, de quibus scriptum est. quod oculus non uidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, que preparauit deus diligentibus se.

¶ De memoria beati Anthonii.

¶ Erat quoque per id tempus beati antonii uita cunctis ad imitandum preclare proposita, qui magni helye atque helysei nec non et sancti baptiste iohannis emulator existens, secreta interioris heremi studio sectatus est singulari, uitaque celestium in terris gessit amore uirtutis.

¶ De sancto Anastasio alexandrino episcopo.

Cuius sanctus athanasius alexandrine ciuitatis antistes proprio stilo testimonium prebuit, dignus sane relator conuersationis antonii, qui iuxta supplicationem fratrum uitam eius pro multorum commoditate perscriberet, et emulandum uiris spiritalibus exhiberet.

¶ De sancto patre Ammon.

In quo opere sancti quoque patris amon meminit, a quo per dei gratiam primum iacta sunt fundamenta conuersationis eorum fratrum qui nunc in monte nitrie commorantur,

¶ De sancto theodoro

nec non et theodorum senem admodum uirum, qui cum sene prefato fuerat, idem nobis pontifex indicauit, quem singulari ac perfecto proposito et fide non ficta deo subditum, multiplicia retulit diaboli machinamenta superasse. Igitur ubique diuina gratia copiose diffusa, illud quod in psalmis scriptum canticum declarauit expletum. Uisitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Nam pro tristicia et gemitu gaudium prouenit